

rum, fine potissimum habendae in promotionem alti servitii Regni et boni publici conservationem inibi debitae inspectionis, Bano pro tempore constituto et inclitis Dominis Statibus et Ordinibus universalem facere obligabuntur relationem.

V. De Oeconomicis.

Futuri illis in Comitatus Domini Officiales siquidem inevitabiliter salariis providendi essent, ea propter ut singuli Comitatus de salariis, viribus suis et Laboribus Dominorum Officialium aproportiandis, ex suis fundis provisionem facere, ita et ad evitandam contributionalis quanti inferioris Sclavoniae cum impositione Regni aliunde aliorum in servitium suae Sacratissimae Regiae Majestatis ordinata, confusionem, praelibati Comitatus inferioris Sclavoniae Dominis Statibus et Ordinibus de incassatis in gremio sui et erogatis rationem submittere obligentur, necessarium et iustum censet Deputatio; et quoniam praevia inferioris Slavoniae reincorporatio potissimum reincorporandis, velut hactenus ob defectum reincorporationis Justitiae administratione destitutis, cederet in beneficium et emolumentum, tum igitur ob id, cum vero ex ratione incapacitatis et insufficientiae Cassae Regni, ut mentionati quoque reincorporandi districtus, in exolutionem Diurnorum Dominorum Commissariorum congruenter concurrant, Suae Majestati Sacratissimae Domini Deputati supplicandum censent, eo fine, quatenus id ipsum clementissime resolvere et suis in locis disponere ac ordinare non dedignentur.

VI. De constituendis in Comitatus Posega et Valpo Administratoribus.

Tandem cum in Regni Decretis in inferiori Sclavonia tres Comitatus, utpote Posega, Veröcze et Valpo specificati comperiantur, Domini Deputati iudicant, praefatae Decretali Specificationi insistendum et praelibatos Sclavoniae, incluso etiam Sirmii districtus, in tres Comitatus subdividendos; et quia praefatorum duorum Posegani et Valpo Comitatum Supremi Comites denominati et constituti non haberentur, exponeretur autem Familiam Draskovichianam ad Valpo, et Keglevichianam ad Posega Comitatus nonnulla Jura habere, censet idcirco Deputatio, Suae Sacratissimae Regiae Maiestati supplicandum, ut praefatorum Comitatum moderamen, Comite Josepho Draskovich in Militia Suae Maiestatis occupato, Comite vero Petro Keglevich in studiis in Italia adhuc versante, adeoque ambobus absentibus, aliis nefors instantibus, non tantum non conferre, sed et erga remonstrationem Jurium suorum, praementionatas Familias de Augustissima Domo Austriaca et sacra Regni Hungariae Corona bene meritos, erga Jurium suorum productionem, successive benigne consolari; interea autem servitio suae Maiestatis ita exigente, de Administratoribus e Gremio Regnicolarum resolvendis, et personaliter praeesse valentibus, clementissime providere non dedignentur.

VII. et Ultimo. De appertinentiis Montis Claudii, Jurisdictioni et oneribus etiam Regni subjiciendis.

Siquidem appertinentiae Montis Claudii I. Familiae Erdödyanae, districtus quippe Kuttina, Art. 51. 1741. eidem Familiae restituendus, et I. Regno reincorporandus praeciperetur. Ea propter ut idem districtus ad tenorem praemissae